

05

A

2425





48

HORARUM
PHILOLOGICARUM
IN
AMEN

IMPENSARUM,
PRÆSIDE

M. GERHARDO MEJERO,
FACULT. PHIL. ADJUNCTO,

RATIONEM REDDET


AUCTOR - RESPONDENS

JOHANN. JACOB. BECHLER,
NORDLINGA - SV.

DIE ULTIMO

ANNI M DC LXXXVII.

IN AUDITORIO MAJORI.



WITTEBERGÆ,

Literis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad, Typ.



VIROS ILLUSTRÉS,
ILLUSTRIS REIP. ET CIVITATIS LIBERÆ
RATISPONENSIS
DNN.

CAMERARIOS,
RELIQVOSQVE
PATRES CONSCRIPTOS,

DOMINOS SUOS, BENE-
FICOS, MOECENATES OPTI-
MOS, PATRONOS ATQVE PROMOTORES
MAXIMOS,

HORARUM SUARUM PHILOL. INSCRIPTIONE
HUMILLIMAQVE DEDICATIONE



sanctissimè colit & observat

Client & Alumnus

Bechlerus.

05 A 2425



בְּתוֹלַי אֲמֵן

TH. I.



Cquis est, qui citra dolorem justam-
que indignationem, quam neglecta olim
atque despecta Christianorum nomen
professis lingua Hebræa fuerit, memoriâ
repetat? Asseverare ausim, hanc majori
ferè, atque Israelitis manna, cœlestis ille,
itidem cibus, fastidio fuisse. Quid ergò hinc potuit, quam
crassissima ignorantia, sperari aliud? Non commemorabo
Patrum antiquissimorum lapsus, qui hanc in partem pec-
caverunt excusatiùs: nec nugas D. Hieronymi, *nostrorum
omnium apud antiquos literis Hebraicis eruditissimi, V. Nic.
Fulleri Misc. S. Lib. I. c. II. p. 25.* quas Zeph. III, 18. in primis
propinat, exagitare constitui; *V. Cel. Tb. Bang. Cel. Orientis
Exerc. III. p. 211.* Prohè memor, quod maxima etiam cœli
luminaria deliquium nonnunquam perpeti soleant. Ve-
rum enim verò proximis retrò seculis, cum facilius multò
literaturæ Hebraicæ daretur copia, tanto eandem apud ple-
rosque in odio fuisse, ut ipso Claudio Espensæo teste in *I.
Tim. III.* Græcè nosse suspectum, Hebraicè verò propè hæ-
reticum esset, id est, quod conqveror atque incuso, *Conf.
Hotting. Exerc. Anti-Morin. Pref. p. 2.* Sed demirari desino,
postquam sedulò, nec authenticam Vulgatæ Interpretationis
stabiliri commodiùs, nec aliud ignorantia, erroribus ac de-
liriis firmum tutumq; parari patrocinium potuisse, mecum
reputo.

A 2

II.

II.

Enimverò dimovit per Dei gratiam has immanis adeò atqve intolerandæ barbariei nebulas Phosphorus Reformationis Evangelicæ auspiciatissimus, selecto Christianorum cœtui minùs caliginosa impertitus tempora, remotoqve modio lucernam pedibus, & lumen semitis restituens, nec non oculos caligine hæctenùs circumfusorum, ut rivulis neglectis in limpidissimos Israelis fontes defigerentur, collustrans. Non potuit sanè non & aures Monachorum aliorumq; ferire & animum percellere vox Megalandri Lutheri attentione omni dignissima: *Dabit is operam, qui aliquando docebit is religionem, ut hanc (Hebræam) linguam discatis, si non pecora campi & indoctum vulgus haberi vultis. In Enarrat. Psal. XLV. Hujus judicio non tantùm, teste B. Calovio, Is g. ad Theol. Dedic. p. 17. omnes piè eruditi subscribunt, sed B. Franzius insuper: de Interpretatione Scripturæ p. 56. eum, qui secùs fecerit occasionibusq; adolescentiæ & Academiæ vitæ abusus fuerit, nec fundamenta intima fontium, comparare sategerit, divinam vindictam experturum, graviter pronuntiat.*

III.

Tantum nihil seciùs abest, ut Phosphorum ultrò sibi prælucentem sequantur omnes, constanter hanc sibi linguam addiscendam rati, ut audacter potiùs pleriqve eandem aggrediantur, à primo vix, quod dicitur, limine salutatum, vicissim deserturi. Conqueri audias B. D. Æg. Gutbir: *Præf. N. T. Syr. p. 3. esse, qui vanissimorum hominum commentis bonas horas consecrare malint, quàm salutaria Dei eloquia, & sacræ veritatis fontes rimari. Esse præterea, qui Hebræam linguam sordidissimam & malè olentibus Judæorum cavernis includendam arbitrentur. Hos verò illis comparaverim, qui vina vetustatem ferentia adeoque*

ænsò.

ἄνευ βίας Luc. V. 29. nullâ cogente necessitate relinquunt aliis, suo interim palato novis atq; a superioribus deservientes.

I V.

Nonne ingens piaculum est, aliquos duodecennales pueros, imò virgunculas in aulis quorundam Magnatum, & Dominos & Dominas Illustrés Hebræa perfectissimè & sine omni titubatione legere & sufficienter interpretari, V. Franzius l. 6. Pref. p. 33. ad Theologiam verò animum qui applicarunt, τὰ λίγια τὸ θεῶν sapiùs ne perlegisse quidem. In ruborem aut nunc aut olim hosce dabunt puellæ juxta ac opifices, verba ex suggestu dicentium, non secùs ac Berœenses, sed ad ipsum Codicem Hebræum, examinantes. De quibus Jac. Alting. Pref. Heptadum Lit. G. 2. a.

V.

Pergant autem hujusmodi suo indulgere genio, erit, quando versionum præsidio, de quo tantoperè gloriantur, se nudatos esse penitùs deprehendent. Quàm insigniter, obsecro, hallucinabuntur vocem Zebhoth Ps. XXIV, 10. &c. vel Zemach Zach. III, 8. interpretaturi? Taceo innumera, quib9 perditos Hebræa negligentium conat9 ipsæ vindicant Versiones. Fac id mihi esse persuasum, quod un9 atqve item alter, nomen Jesu atqve Immanuelis nostri, nec non Golgathæ &c. etymon quod habeat, ex additâ interpretatione possit assequi; De reliquis quid futurum censebimus? sensum sententiæqve robur exige, & vel Pythagoræos exsuperare silentio animadvertes, vel miseram tandem ex ipsis orationem exsculpes, quâ etymologiam, quam ab aliis nimium imbiberunt creduli, sibi vicissim accredi morosè postulent.

VI.

Nihil sanè magis quotidianum, tritumqve magis est, quàm, Christo ita postulante, preces vocabulo Amen finire indies & obsignare, Equidem Pontificios inter, quæ

Flacii verba sunt, *Gloss. comp. in I. Cor. XIV. 16. p. 807. nec mercenarius famulus locum totius Ecclesie supplens, nec sacrificus intelligunt, quid garriant, aut quid sola vocula Amen significet.* Sed ex Nostratibus solam Lutheri Catechesin edoctis tam hebes mihi habebitur nemo, qui, Amen sibi quid velit, ignarus, inani toties voce sonuerit. Nihilominus liquidò dejerare liceat, quare istâ non aliâ verò notione Amen gaudeat, plerosque ab Hebræâ lingvâ parùm instructos latere. Hoc igitur argumentum est, quod ingenii vires periclitaturo, præ cæteris, ut exponerem, arripit. Constiterit mihi otii laborisque fructus, modo hujus vocabuli sensum atque usum accuratè delineasse contingat. Concisæ interim brevitatis voluptate, quicquid elegantiarum defuerit, compensatum iri recipio.

VII.

Circumspectis verò rebus omnibus rationibusque subductis, in hoc maximo operè mihi enitendum esse intelligo, ne, si methodi studiosior an detur Amen? prolixius fuero executus, justam reprehensionem atque censuram incurrisse videar. Res uno omnium consensu munita est, Veteris non minùs quam N. Instrumenti paginas identidem hoc vocabulum exhibere. Si rectè posuerunt calculum Concordantiarum autores, Hebraicis exaratum literis tricies, in versibus verò N. Testamenti centum & viginti quinque, & à Christo quidem quinquagies adhibitum vid. *Leighij Critica S. N. T. p. 17.* deprehendes. Syrus præterea & Chaldæus Paraphrastæ, nec non Anglica, Lutheriq; &c. versio, Christianorum quoque antiphona jam Pauli ævo adhiberi solita, *I. Cor. XIV. 16.* quotidianæ tandem orantium clausulæ, nequaquam finxisse nos, de quo ageremus, abundè confirmant. Quid? quod si barbaras gentes sigillatim cogitatione perquirò, paucioribus vel inusitatum, vel

vel inauditum saltem Amen esse non unâ ex causâ conjicio. At in omni tamen aliâ lingvâ, id quod de voce *pu* tradunt alii, *hanc usitatam esse vocem ad unitatem fidei & spiritus indigitandam*, cum eo, quem Eduardus Leigh *l. c.* laudat, asserere neutiqvam sustineo. Si nihil aliud superpeteret argumenti, vel unum illud suffecturum crederem, quod nusquam vocem Hebræam Amen ab Arabe retentam esse, ex Glass. *Philol. S. L. III. Tr. V. Can. XV. p. 468.* Fullero pariter *l. c. p. 24.* colligere detur.

VIII.

Non unâ verò eâdemq; facie in V. Testamento Pandectis vocabulum, quod dicimus, comparet. Simplex *אמן* non parùm sæpè occurrit: geminatum verò quinquies tantùm; idque vel asyntheti instar Num. V, 22. Neh. VIII, 6. vel copulâ intercedente Ps. XLI, 14. LXXII, 19. LXXXIX, 52. Pari ratione in Novo Testamento, si Johannem Evangelistam nunquam non repetentem excipias, iteratum, nunquam, seorsim inveneris sæpissimè vid, *Job. Lightfoot Tom. I. Opp. p. 400.* Sic Erasm. Schmid. *not. & animadv. in N. Testamentum p. 658. perpetuum est hoc Jobanni, ingeminare אמן, אמן, quod nullus alius facit. Et p. 95. f. Geminatur אמן per totum & solum Johannem Evangelistam.* Operam luserit, exemplum quod objiciat, molestè inquisiturus. Meminerint oportet quotquot Joh. XXI, 25. quo contrà nitantur, inveniri persuasum habent, de eo, quod in sententiarum initiis à Johanne fiat, sermonem esse omnem.

IX.

Sed rebus apertissimis immorari diutiùs è re fuerit parum. Nec operæ facturum esse pretium arbitror, quæ natales vocis Amen cunctis indagare vestigiis sollicitè allaboraverit. In confesso apud omnes est, Hebrææ linguæ suam debere originem. His multò difficilius est, satisfacere, quæ

re, qui, Philologos in summâ varietate & dissensione constitutos cum videant, ad quam orationis partem Amen referendum sit, quærere non intermittunt. Sunt qui per Verè, Certò, interpretati pro adverbio habuisse videantur. *V. Hacksp. l. c. pag. 113.* Alii cum Munstero à אָמֵן *Ibid. p. 112.* vel אָמֵן *vid. Chemnit. Harm. Evang. in Job. III. c. 18.* per Aphæresin derivantes ad verbum accedunt propiùs. Cæterum Ludovicum de Dieu *Notis ad Matth. V. 18.* Amen pro nomine reputantem an Hackspanius refutet satis *l. c.* valdè dubito. Nonne parciùs fuisset Viro tanto objiciendum, quod solâ gaudet probabilitate? Num, quæso, sequitur? *quæ est ratio vocula Amen in fine posita, eadem est posita ab initio.* Atqui ab initio tantum est vox afferendi vim habens, E. nec in fine præter assertionem, votum aliquod & fiduciam &c. connotabit. Erunt procul dubio, hanc sequelam ægro qui recipiant animo.

X.

Non existimaverim, ejusmodi me adstrictum esse necessitati, ut mihi velim nolim sit certa quædam tuenda sententia. Quapropter mediam eamque tutissimam inibo viam, nomen quidem esse Amen, sed sæpius in adverbium abire, propugnaturus. Sin rationem asserti quis exigat, nihil est, quod expedire tam facile possim. Qui *Jes. LXV. 16.* אֲשֶׁר הַמַּתְּבָרֵךְ בְּאָרֶץ יִתְבָּרֵךְ בְּאֱלֹהֵי אָמֵן quantum sufficit, expenderit, nominis esse partis, nisi valdè fuerit pertinax, concedat necesse est. Non me præterit quidem, haud licere perpetuò ex nomine, quod status constructi formam induit, de voce immediatè sequenti, utrum nomen sit nec ne, firmè satis concludere. Cui exploratum non est? infinitivum quandoque *V. Es. XX. 1. Ruth. I. 1.* nomini constructo subjici. Nec dissimulavero, quædam substantiva, מְקוֹם potissi-

potissimum, ante pronomem relativum constructi formam
assumere, quandoquidem nondum etiam illius præcepti:
אשר על מלת אמן *vid. Michl. Joph.*
in Gen. XXXIX, 20. f. m. 14. a. dememini: Sed perabsurdum
profectò foret, אמן aut pro Infinitivo vendicare, aut an-
numerare pronomibus.

XI.

Acrior cum aliis parata est contentio, qui sententiã
desistere nescii ad צרי יומם Ez. XXX, 16. קללת חנם
Prov. XXVI, 2. provocaturi videntur, spe minimè dubiã
inflammati, modò parem inter אלהי אמן atq; data ex-
empla constructionem intercedere impetrent, Amen tan-
tùm esse particulam se obtenturos. At enim verò peniti-
ùs rem omnem perpendenti ad veritatem hæc persuade-
bunt nunquam. Minus enim explorata est ista ratio, ad
id, quod volunt, confirmandum, quàm videtur. Quare ne
cui dubio non videatur responsum, pauca dicam ad locum
utrumque. צרי יומם per Eclipsin dicitur, quàm vel ex
Targum יקפונה רבכו בעלי רבכו יקפונה vel ex Raschio & Kimchio
אשר עליו יבאו אלהי אמן assequaris h. s. *Nophum verò quod*
attinet, hostes circumdabunt eam, aut contra eam congre-
gabuntur interdium sive quotidie. Expediet igitur Enalla-
gen potiùs formæ constructæ pro absolutâ, (*de quâ Glass.*
Gr. Tr. I. Can. XL. p. 160.) quàm statum regiminis admisisse.
Accentum Coniunctivum ne urgebit quidem, qui accen-
tuationem novit, quæ nomini verbum includenti con-
gruat. De חנם non est quod multum laborem. Prov.
XXVI, 2. לַנְּטָתָא דְּמַגֵּן חנם קללת nihil est aliud quàm
maledictio quæ frustra fit V. Targum. Suppleatur אשר, cu-
jus frequens est ellipsis, & regimen non magis, quàm in קרית
Jes, XXIX. i. admiraberis.

XII.

Ne autem veritatis ignoracione in maximã versari.

B

incoa-

inconstantia aut novitate delectari videamur paucissima
 his ex boni ordinis lege subjungenda erunt, quæ & suspi-
 cione novitatis nos absolvant, & Thesin declarent ampli-
 us. Dudum à nobis Glassius *l.c.* nec non Ampl. Dn. Pfeif-
 ferus *Dub. Vexat. p. 946.* steterunt. Ille *vocem esse ad ver-*
biafcentem; hic *tum ut nomen tum ut particulam usur-*
pam pronunciat. Adhæc à Veritate nequicquam abhor-
 ret, nec *συνεχόμενον* est, nomen quandoque adverbialiter, sit
 venia verbo, adhiberi. Quod ne gratis asseruisse vel ad li-
 bidinem finxisse videar, non subterfugiam huc facientia
 persequi. Quid apertius est? quàm *אמן*, quippe quod su-
 um format pluralem *Ex. XXVI, 12. XXXIII, 23.* &c. nomen
 esse, posteriorem partem significans. Sapissimè tamen
 naturam induere Adverbii apprimè rectè dicitur *V. Gen.*
XLIX, 17. Jes. I, 4. &c. B. Geiero de *אמן* paria in *Prov. II, 22.*
p. 308. proferenti, exemplisque roboranti vehementer as-
 sentior. De *אמן* diversa vix sentiet, qui loqvendi vim
אמן ואמן I. Paral. XIX, 10. tenuerit, & cum *ἐμπεροθεν ἡγή-*
σασθεν *Apoc. IV, 6.* contenderit, aut in *אמן ל' Ps. CII, 26.* &c.
 saltem oculos conjecerit. Possent, si eas mihi sumerem par-
 tes, ut de *אמן, אמן* &c. idem comprobatum darem, per-
 magna fieri ad præsens institutum accessio. Eandem de
אמן tenendam esse sententiam, non adeò pridem docuit
 Cl. Dn. Præses suis ad *Amos. III, 11.* recitationibus. Quibus
 ex omnibus judicari potest, perfacilem ac perexpeditam
 esse defensionem, quâ uti queant omnes, quotquot Amen
 nomen plerumque adverbiascens nuncupant, & Matthiæ
 Flacii *Gloss. Comp. in Apoc. III. p. 1324. a.* sententiæ: *Amen He-*
brais significat verè & veritatem ipsam, subscribunt.

XIII.

Non gravabor propositum urgere, atq; Amen ad vivum
 refecare ulterius. Est autem nomen ejusdem, quâ *אמן Gen.*
XIX,

XIX, 4. עֵקֶב Gen. III, 15. מִצִּיר Ez. XLVII, 16. יוֹן Ps. XL, 3. יֵתֵר Efr. IX, 8 &c. formæ. Si tonum attendas, quia geminâ constat vocali longâ, Milra sive acurum est, & sub unâ quidem terminatione substantivum. Pondus habet dignum æstimatione Celeb. Buxtorfii *Lex. Chal. Talm. Rabb.* p. 114. testimonium; *Hebraicè bis reperitur ut substantivum Veritas.* Si genus quod habeat, ex me quæras, nihil prorsus obstare perspicio, quo minùs masculinum attribuam. Incerta non est luctatio, in V. T. analogiâ thesin tuebor, in N. T. articulus δ *Apoc. III, 14.* assensionem cohibere vix permittet. Lucem eripit, & tantùm non noctem quandam rebus of- fundit, neutrum huic genus idcirco assignaturus, quod *II. Cor. I, 20.* τὸ Ἀμὴν enunciatur. Tota res vacillat & claudicat. Non mihi liquet neutrum genus ab Hebræis agnosci. Summæ igitur videtur inscitæ, materialiter quando vox capiatur, quando minùs, parum internoscere. Quidni e- andem ob rationem τὸ ναὶ neutrum esse nomen contende- retur? Casus præterea diversos non terminatione quidem, sed constructione quod recipiat, probè novi. Minimè o- mnium præjudicata opinio est, quod *Esa. LXV, 16.* plus vice simplici genitivus, nominativus verò *Apoc. III, 14.* suppedi- tetur. Pluralem hujus vocis nusquam in Codice S. esse obvium, res etiam in vulgus pervulgata est. Sed illuc ad- duci vix possum, ut ne fando quidem auditum esse, vel ana- logiæ convenienter אַמְנִים posse dici, mihi patiar persuade- ri. Exemplum ex Baal Hatturim ad *Num. V, 22.* V. Buxt. *Bibl. f. 155. a.* capiemus. Hic אַמְנִים שְׁנֵי disertis exprimit verbis.

XIV.

Ad leviora huc usque nostra deflexit oratio. Existit hoc loco alia quæstio subdifficilis, de quâ multus fluere varius- que sermo potest. Non à me alienum erit exquirere: u-

rum amen appellativum, an proprium verò nomen sit? A quo capite, quæ de jurisjurandi formulâ disceptari consueverunt, fluunt pleraque. Libet verò illis, qui pro appellativo reputant, iudicium scribendique ordinem adungere. Paucis totam rem aperiam, nullam orationis ubertatem consecreturus. Triviti diuturna consuetudo hoc Grammaticorum quorundam præceptum: *nomen esse proprium, quod 1. He emphaticum respuat 2. non assumat suffixa 3. formam constructam declinet 4. in pluralem flexi nequeat.* Quo constituto, parum abest, quin Amen ex priorum censu haberi necesse sit. Excute Biblia, universa, nec per infirma dici tute confiteberis. Aut locum cedò, ubi vel affixum, vel He emphaticum præstò sit. Accedit, quod in N. Fœdere Christo tanquam nomen proprium tribuatur, iisdemque exhibeatur literis.

X V.

Equidem ab eo plurimum absum, ut convellam temerè, quod à pluribus constanter est statutum. Verùm Grammaticos hæc tantùm requisita flagitantes, prout par erat, iniisse rationes, non satis exploratè perceptum habeo & cognitum. Exempla suppetunt benè multa, quibus, nec ad alterato tamen veri iudicio, contrarium obtineas. Nonne *אָמֵן* fuerit, *אָמֵן* Amos. III, 12. per Damascum interpretantibus has solas ob rationes victas dare manus? Siccine *אָמֵן* Jud. XIII, 18. nomen erit proprium? Plura darem, nisi hoc quidem in sermone remissior esse constituiissem, eò quod brevitatis me delectat. At pone vera esse Grammaticorum effata, saltem in pluralem posse Amen flexi §. XIII. dedi confectum. Accedat porrò in causæ subsidium, aureum illud Wagenheilii. T. 7. S. p. 280. pronunciatum, quod cum ego grata recordatione renovo indies, tum omnis comprobabit posteritas: *nulla regula reperitur, quæ non*

non suam patiatur exceptionem, & optima illa est, qua minimis urgetur.

XVI.

Alterius, quo contra nos pugnant, arietis nervos longè incidemus faciliùs. Qvis hujusmodi admiserit consequentiam? Quòdcunque Christo quasi nomen proprium (sic notanter loqui Erasm. Schmidium *Not. ad N. T. p. 1421.* observo) tribuitur, illud ubique nomen est proprium. In proclivi esset cuilibet de צמח, de פלא, יועץ &c. subsumere, quæ tamen appellativa esse inficiabitur nemo. Dein propria cædunt vineta, qui pro nomine proprio venditant, quicquid iisdem in N. T. sistitur literis. Tardiores ad sententiam hujusmodi profitendam fecerit vox צבאות, quam itidem appellativam esse, pluribus nec ratione gravi carentibus eruditorum calculis licet conficere. *V. Glass. Gr. Tr. I. Can. IV. p. 15.* Geier, in *Pf. XXIV. 10. p. m. 374.* Joh. Buxt. *Dissert. V. §. 38. sqq. p. 280.* Attamen σαβωθ Paulus pariter *Rom. IX, 29.* atque Jacobus *cap. V, 4.* haud dubiè LXX. Interpretes imitati, *V. Esa. I, 9.* &c. retinuerunt. Ineptum foret utriusque, הללו יהוה, הושיעה נא, פסח, שבת, &c. propriis adscribere Nominibus, quia in N. Fœdere repetita paulùm oppidò ab Hebræo differunt.

XVII.

His perfectis atque conclusis, nihil hanc in partem magnoperè dicendum restat. Fingas, per me licet, Amen proprium esse Nomen, at cujus sit? rogantem edoce, aut hac hypothese salvâ, quid אלהי אמן sibi velit? ediffere. Deridendum se cordatioribus propinaverit, & causâ ceciderit, quinimò, si dicendum quod res est, sonos fuderit inanes, jusjurandum *per Deum illius, qui Amen sit*, concipiendum esse atque reddendum, professus. Arbitrarer ego cum R. D. Kimchio, *V. Buxt. Bibl. f. 508. col. 4. m.* אלהי אמן atque

אמונה *Deut. XXXII, 4.* vel אלהי אמת *juxta Ab. Efram B. B. l. c. f. 121. col. 3.* paria facere. Huic sententiæ consentanea itidem est R. Salomonis commentatio, qui אלהי אמת per אלהי אמת שנים ושמו אבטחתו *i. e. Deum verissimum, promissa ut compareant facientem,* convertit. Jonathanis Paraphrasis קומא באלהא eadem dicit, nullâ in re discrepans, Hebraismum insuper usitatissimum, quo abstractum pro concreto superlativi gradus, vel pro substantivo & adjectivo regimen usurpari assolet, expediens. Nostratum sententias idem declaraturas nimium difficile foret annumerare. Sola D. Lutheri Versio: *Wey dem rechte Gott / veniat in medium.*

XVIII.

At susurrari audio, אלהי אמת *Deum, qui sit Amen,* significare, nomenque adeo ipsius Dei proprium esse censendum. Verum enimvero statum regiminis pro Appositione Hebræis inservire, ex *Gen. XV, 18. Amos V, 2.* quæ solummodo loca à Glassio *l. c.* producuntur, nondum liquidò satis apparet. Utcunque sit, insolens ad minimum est, inter nomina Dei propria referre, quod in casu recto de præpotenti Numine prædicatur nusquam. Tum illud reticere nolim, quòd pro certo affirmare habeam, optimam interpretandi partem neglexisse, quotquot appositionem ad solum fingunt arbitrium. Dicant, quo pacto aliis sint facturi satis, qui אלהי ישראל & sexcenta alia non dispari modo exponenda sibi sumerent. Melioris notæ sunt, quæ monumentis commendavit Fullerus: *l. c. p. 26. Amen non est attributum divinum, id est, quo Deus ipse, seu increata veritas, significetur.*

XIX.

De radice hujus vocis nunc proprius erit dicendi locus. Hanc ipse Codex Dei afflatu perscriptus oppidò eviden-

evidenter proponit. Nihil est, cur ab eorum partibus dis-
 sidere quis velit, qui ab מן originem accersunt, literam,
 quam Heemanticam dicere amant, nullam agnoscentes.
 Manifestius a. est, quam prolixè h. l. exquiri ut debeat, quòd
 מן in Kal Nutriendi *Jes. XLIX, 23. &c.* in Hiphil verò Cre-
 dendi *Gen. XV. 6. &c.* gaudeat notione. In Niphal porrò eam
 habere significandi vim, ut Confirmari, s. Certum esse ex-
 primat, certatim affirmant, exemplisque conficiunt. *Conf.*
in primis I. Reg. VIII, 26. Non vereor dicere, per integrum
 S. Codicem plures hujus quidem radice conjugationes
 neutiquam occurrere. Attamen in Piël quòd verè ali-
 quid præstare denotet, adeò non inficior, ut ex §. XVII. ab-
 undè id ipsum constare autumem. Subindè verò in men-
 tem venit mirari, quì Radix eadem diversa sustineat Nu-
 triendi, Credendi, Confirmandi que significata. At res in
 vado est. Nonne *in nutriendo fides* requiritur? *conf.*
Leigh. l. c. p. 9. Nonne *fides* illud animæ nutrimentum est,
 quo *credens* adeò *confirmatur* ut non dubitet amplius?

XX.

His ita positis, illud assumitur, piè nec ingeniosè mi-
 nùs ludere, quicunqve ראשי תיבות s. primas vocum li-
 teras componendo מן ex מלך נאמן אל conflatum esse
 asseverant. *Adi Glass. Gr. Tr. V. Can. XVI. p. 468. Hackspan.*
Not. Philol. N. T. p. 112. Pfeiffer. Dub. Vex. p. 947. Wagenheil
T. J. S. p. 121. Procul abest à moribus meis, quæ pietatem
 promovent, dummodò veritati nullum faciant fucum,
 sufflaminare. Sed causa non una est, quæ errantem tali-
 um opinionem me accupari vetet. Vereor, ne hoc pacto
 magna Judæis ad nequitiam fenestra patefiat. Etenim hi
 Christianis arridere hujusmodi, ac impunè licere animad-
 vertentes, sua quoque, ut ita loquar, Acrosticha de nomi-
 ne ישו vel ישוע nefandam impietatem redolentia, quæ
 apud

apud Varen, *Comment. in Isai. part. II. p. 556.* & Buxtorfium *Abbrev. p. 101. sqq.* quàm hîc legi malim, obtrudent perti-
naciùs. Pudet me in re seriâ ludere, non minori aliàs
jûre, אֲנִי transpositis consonis ceu relativum ad אֱלֹהִים re-
poni pronunciarẽ. *Conf. Glass. Philol. Lib. II. P. I. Tr. II.
sect. III. p. 435.*

XXI.

Edifferant tandem ipsi, quotquot originem vocis A-
men ita explicatam reddiderunt, quo illum sint habituri
loco, qui methodo non diversâ usus ex אֲנִי sermonem
Christi ad sibi deditos forsan directum אֲנִי מֶלֶךְ נֹצְרִים
exsculperet? vid. *Waltb. Offic. Bibl. p. 19.* His admissis, haud
dubiè nemo deinceps sibi interdictum putabit, ne אֲנִי ex
אֱלֹהִים, אֲנִי ex אֱלֹהִים, אֲנִי ex אֱלֹהִים repetitis, אֲנִי constituat. Specio-
sam, quæ prætendatur, causam minimè defuturam con-
spicor. Etenim quis vocaverit in dubium? promissa Dei,
Adamo, Mosi atque Noacho facta, evidentiori quâdam ra-
tione τὸ ναὶ ἡγὺ τὸ ἀμὴν fuisse. Profectò Nachmanides si
foret superstes, quem ex Mosi cantico, quo ultimum va-
le dixit, omnia omnium, quotquot in hoc universo sunt,
rerum, singulorumq; mortalium nomina exhibiturum fu-
isse refert R. Gedalia, *Schalschel. Hakkab. p. 56. a. cit. Wa-
genfeilio in Sota p. 164.* suis non deesset partibus, literis aut
collectis aut transpositis vice plus simplici ex Deut. XXXII.
אֲנִי producturus.

XXII.

Quibus refutatis relinquitur, communem Judæorum
sententiam, quod אֲנִי ab Radice אֱלֹהִים sua capiat primor-
dia, sive, quod idem est, אֱלֹהִים אֱלֹהִים sit, *V. Aben Esra in
Jes. LXV. Buxt. Bibl. f. 520. col. 3. f. 739. col. 1. f. 756. col. 1.* O-
mni esse studio premendam. Quod orationis filum pro-
pterea pertexendum erat, ut de significatione tantò ambi-
geretur

geretur minus. Hebræos per אָמֵן interpretari ex supra
 disputatis perfacile apparet. *Add. Aben Ezra in Ps. XLI. 14.*
 His album adjiciunt calculum Lightf. *Tom. I. Opp. p. 400. b.*
m. Ravanell. Bibl. S. p. 88, Fullerus Misc. S. p. 20. &c. Ma-
 jorem his omnibus lucem affuderis, si, quod Christus &
 ὁ Ἀμὴν Apoc. III. 14. & ἡ ἀλήθεια Joh. XIV. 6. ab eodem
 nuncupetur, expendere curatius. Nec est, quod aliunde,
 quàm ex Sacris, expositionem petat, cujus acies ad verita-
 tis lucem non hebescit. Illustris datur etiam Amen expla-
 natio, tam I. Reg. I. 36. אָמֵן כִּן יֵאמַר יְהוָה *Amen ita dixe-
 rit Dominus, quàm Jer. XXVIII. 6. יְהוָה יַעֲשֶׂה כִּן אָמֵן Amen
 sic faciat Dominus. Add. Michl. Jophi in Deut. XXVII. 15.*
Jer. XI. 5. XXVIII. 6. כִּן יִהְיֶה אִמֵּת יְהוָה nec non Ralbag I. Reg. I. 36.
 זֶה תַּפְלָה שִׁיתִּיהָ רִצּוֹן הַשָּׁמַיִם יִתֵּב שִׁיתִּיהָ חַעֲנִין כִּן

XXIII.

Juvabit præterea ipsos Evangelistas, vocis Amen In-
 terpretes omni exceptione majores, audire. Hi non ob-
 scuris testantur indiciis, quod Ἀμὴν cum ἀληθῶς, ἐπὶ ἀλη-
 θείας, atq; ναὶ pari valore gaudeat. Hoc instituta Matthæi
 XXIII. 36. cum Luc. XI. 51. *adde II. Cor. I. 20. Apoc. I. 7.*
XXII. 20. collatio evidenter docebit. Istud, si Luc. IV. ver-
 sum 24. cum 25. contendas, intellexeris. Illud tandem lo-
 ca non pauca evincunt, conf. *Luc. IX. 27. cum Matth. XVI.*
28. & Marc. IX. 1. sic Marc. XII. 43. cum Luc. XXI. 3. nec non
Matth. XXIV. 47. cum Luc. XII. 44. Cur eo exponant
 modo, causam vix allegaverim aliam, quàm ipsum etymon,
 etiamsi non sim nescius, cui sententiæ Lightfootus suffra-
 getur, ideò fieri ratus, *ut ostenderent Evangelistæ, in ser-*
monibus Christi sumendum esse Amen in sensu à precatório
illo, quo in V. T. semper sumebatur, diverso, Tom. I. Opp. p.
401. a. f.

C

XXIV.

XXIV.

Quod Suidas æquè ac Evangelii Præcones Ἀμὴν per ἀληθῶς convertat, vel ex Pasor. Lex. p. 45. poterat innotuisse. **מְתַקְּמֵי הַמַּעֲשִׂים** s. Interpretes, quos LXX. vulgò appellant, ipsam quandoq; Hebræam retinuisse vocem, res est testatissima *V. Jer. XI. 5. I. Par. XVI. 36. Neb. VIII. 6.* Nonnunquam tamen per ἀληθῶς *Jer. XXVIII. 6.* aut per γένοιτο explicant. *Num. V. 22. Deut. XXVII. 15. Ps. XLI. 14.* Symmachum tandem πεπιστωένως i. e. cui fides facta est, ubi dubitare sit religio, substituisse, ex Glassii loco cit. p. 468. f. colligas.

XXV.

Haudquaquam ab instituto alienum fuerit, quæ præter modò recensita vocabuli Amen synonyma dentur alia, aliquot subtexere lineis. Sub ead. quidem radice **הַמֶּנֶן** pariter *Gen. XX. 12.* atque **מִנְנָן** *Jobi XIX. 4. s. מִנְנָן Gen. XIII. 13.* reperire datur. Nec omnem derogavero fidem **מִנְנָן** cum **לִבְרָן** *Gen. XLII. 21.* contendentibus. Iucundissimum observatu fuit, in Chaldaicâ Paraphrasi per **נְשׂוּבָא** quasi ἐπ' ἀληθείας ex *Luc. IV. 25.* repeteres, idem transferri. R. Sal. B. Melech quoq; in Michlal Jophi, f. 15. a. **לִבְרָן** per **מִנְנָן** interpretatus à nobis distat proximè. Literis non sensu autem vicinior est **מִנְנָן** *Es. LIII. 4 & c.* quod **מִנְנָן מְצִיאוֹתָהּ וְקִוּוּהָ הַדָּבָר** insinuare, R. Mardochai Nathan *in Concord.* testis est. Pertinet hùc non inelegans vocabuli Amen periphraasis, quam Paulus atq; Johannes suggerunt. *Annon πιστὸς ὁ λόγος I. Tim. I. 15. III. 1. IV. 9. II. Tim. II. 2. Tit. III. 7.* atq; *ἐπι οἱ λόγοι πιστὸι καὶ ἀληθῆνοι Apoc. XXII. 6.* paria cum Amen faciunt?

XXVI.

Longiùs verò, atque termini justæ synonymias postulabant, excurrisse videntur, qui **מִנְנָן** cum **מִנְנָן** *Ezech. XXXIII.*

XXXIII. ii. &c. ita comparant, *V. Lud. de Dieu in Matt. V. 18.* ut
 ejusdē esse tenoris pronuntient confidentiq. Quò facere po-
 terat Hieronymi testimonium; *Comm. in Ezech. XVI. In V. T.*
Dei juramentū est, Vivo ego, dicit Dominus: in N. autem, Amen,
amen dico vobis. Sed de hoc ex Hieronymi mente interpre-
 tando consulatur Fullerus *l. c. p. 28.* Inter *אמן* atqve A-
 men hoc, ut paucis complectar, interest. Illud utiqve
 factam Dei per seipsum contestationem continet; ex A-
 men verò eandem elici commodè, vix est, ut credam. Equè
 difficilem postulant assensum, qui sive sono fortassis parti-
 cularum *אמן* *Hebr. VI. 14.* decepti, sive opinioni præjudi-
 catæ nimium indulgentes, *אמן* atque *אמן* pro iisdem,
 habent. Aberrant conjecturâ omnes, quotquot alterum
 alteri suos debere natales contendunt. Illud origine He-
 bræum est, hoc è Græciâ oriundum. Amen unicam esse
 dictionem, at *אמן* duas sistere, norunt omnes. *אמן*
l. c. omninò ut jurantis adhiberi particulam, docet con-
 textus, restaturqve Glassius *Gr. p. 473.* At de Amen secus
 esse sentiendum, jamjam decernemus, nihil moti assertio-
 ne, quâ non nemo utitur: *Jurat Christus Matth. V. 18. A-*
men dico vobis. Quam esse formulam juramenti colligitur
ex Hebr. VI. 14.

XXVII.

Prius verò, quàm discutiendæ litis capiantur primor-
 dia, in eo mentem orationemqve defigendam judico, ut
 momentum atque pondus controversiæ recitem explica-
 tius. Sunt, qui ad stabilienda fidei dogmata, voce Amen,
 verâ ejusdē significatione vel non intellectâ satis, vel insu-
 per habitâ, abutantur, Pareus *Comm. Ep. ad Rom. Vid. Hack-*
span. Not. Philol. N. T. p. 111 Christum *Matth. V. 34.* non
 omnia interdixisse juramenta, cum ipse sæpius jurarit A-
 men Amen, evincere annititur. Quæ licet ita comparata

sint, ut de Thesi ipsâ cum Pareo ambigere nolim, dolendum tamen est, quòd probandi ratione, quæ nullo calculo digna est, non levem falsitatis suspicionem in eandem conferat. Plura peccat Bellarminus *Lib. I. de Euchar. c. V. ex Amen*, propriè de Sacramento Eucharistiæ Joh. VI. versum 53. esse capiendum, conclusurus. Uterque eâ hypothesi, quod Amen jurisjurandi nota sit, decipitur. Quæ & eos fallit, qui Christum elatis digitis jurasse, quoties Amen sibi exponendum sumunt, identidem pro cathedrâ, sed temerè effutiunt.

XXVIII.

Certè in V. Instrumento solennis sacramenti loci nusquam, sed s. orationis, s. imprecationis more, si *Jes. LXV, 16.* forsan exceperis, semper usurpatur. Quod cum exemplorum testetur inductio, probare supervacaneum foret. Si quem N. Testamentum reddiderit sollicitum, bonâ veniâ Fullerum *l. c. p. 25.* audiat: *Quum Servator de rebus longè præstantissimis, omniumq; maximè necessariis apud populum Dei passim orationem haberet, cuperetque eorum animis quàm firmissimè res illas infigere, putabimus ne ipsam verbis inusitato & innoto sensu adhibitis id præstitisse?* Equidem Christus summo jure hac voce usus, à sententiarum initiis, quæ orationum clausulis deservire solebat, solus eandem adhibet. *V. Lightf. T. II. Opp. p. 603. Wagenf. Sota p. 1214.* Sed instar jurisjurandi protulisse, unde, quæso, probabitur?

XXIX.

Quibus perpensis, agrè suos sustinebunt assensus, qui in Chemnitii nostri *Harmoniam c. XXVIII.* & Ed. Leigh. *Crit. S. N. T. p. 18.* Fulleri quoque *Miscellanea S. p. 26.* inciderint. Videntur hi ore uno illud Michl. Jophi *f. 171. col. 4. p.* & in *Ps. LXXII, 17.* pronunciatum: *אמן לשון קים*
i. e.

i. e. *Amen* corroboracionem denotat sermonis, comproba-
re. Contra Fullerum quidem scitè perquam atque enu-
cleatè disputasse D. Eliam Vejelium in singulari Dissertatio-
ne de vocolâ *Amen* Christ. Arnoldus in *Wagens. Sotam.* p.
1185. refert. Sed quàm vellem istius Dissertationis facta
mihi fuisset copia, ut librare singula utriusq; partis mo-
menta licuisset: Nunc illis, quæ alii opponunt, opera vi-
detur omnis impendenda.

XXX.

Augustinus, *Amen Amen* dico vobis, quodammodò,
si dici fas sit, jurationem Dei esse adstruens *V. Wagens. So-
ta l. c.* p. 1185. à Chemnitio Fulleroque magnoperè non
discrepat. Hic enim recentem hanc N. Testamenti for-
mulam: *Amen Amen* dico vobis, parem atque antiquum
illud V. T. juramentum: *Vivo ego* dicit Dominus, ad ve-
ritatem confirmandam vim locumq; obtinere, libens lar-
gitur. Pari ratione Chemnitius vocolâ *Amen* repetitâ,
quasi interposito juramento affirmari aliquid non recusat.
Et quis materialiter jurijurando ævipollere negaverit?
Quandoquidem nil nisi verborum pondera evidentissi-
mamque rerum certitudinem, quæ ab hominibus jurisju-
randi religione firmari consueverunt, prolocutus est Ser-
vator optimus. Sed formaliter, per se, sensuque strictio-
ri solennem jurantium formulam constituere qui censu-
erit, toto aberrabit cœlo.

XXXI.

Nonne in jure jurando Deus, vel explicitè invocatur, vel
implicitè? *In juramento*, ait Fullerus, *l. c. interponit Deus &
testis & Judex.* At in voce *Amen* nulla datur Dei in testimo-
nium invocatio *V. Pfeiff. Dub. Vex. p. 947.* Equidem nume-
rorum ratione JDN geminum Dei nomen tam יהוה quàm
 יהו complectitur. *Wagens. Sota p. 380.* Sunt & qui JDN
cum

cum אחר & יהוה יהוה יהוה Deut. VI 45. in eundē assurgere numerum, nobis libentissimè concessuris, proponant. *V. Helvicus Vind. Loc. Script. ad Deut. VI. citante Glassio Philol. S. L. II. P. I. Tr. II. Sect. III. p. 419.* Nam si vocum ex utràque parte literas in numeros digesseris, prodibunt XCI. At aliis destitutus rationibus Amen vel Dei nomen, vel juris iurandi esse formulam insulsè protruserit, feceritque his numeris, cum res ipsa nullos veritatis numeros in se habeat, ut nullo habeatur numero & loco. Dicat, obsecro, quicumq; naniis hujusmodi animum oblectare constituit, an אכר Dan. II. 4. an אכר Jer. XXXVIII. 21. an, quod crebriùs in Bibliis extat, אכר nomen Dei proprium sit? Ni veritatem omnem nimium ejurat, denegabit spero. At causà exciderit, quippe denuò cum superioribus conveniet numerus. Pluribus exemplis hanc elidere dicam an eludere connectendi rationem, magis ab instituto alienum quàm arduum foret.

XXXII.

Ludovicum de Dieu in *Matth. V. 18.* sicco non possumus pede præterire. Huic Amen asseveratio cum juramento est, adeò, *ut Deum, quum per Amen asseveret, per se ipsum, per suam vitam, per essentia sua veritatem & stabilitatem jurare, ex lubrico, quod Chaldæum putat jecisse, fundamento statuatur. V. Calov. Bibl. Illustr. T. I. N. T. p. 186.* Quod si asseverationem firmam juri jurando ratione veritatis equipollentem cum Glassio *Gr. p. 470.* aut asseverationis notam, quæ instar juramenti esse possit, cum Carpzovio *Isagog. in Libros Symbol. p. 1075.* dixisset, nos non habuisset à sententiâ suâ alienos. Jam verò iisdem cum Ravan, *Bibl. S. p. 88.* & Sam. *Petito Var. Lect. L. I. c. VII.* involvitur difficultatibus, quas supra explanatas repetere non vacat. Nec minoribus premitur *Erasm. Schmidii*, nisi commodiùs explicetur

plicetur, sententia, quando *Amen* asseverationem, & attestati-
onem juratoriam praesertim initio sententiae, denotare
affirmat, *Not. in N. T. p. 95. f.*

XXXIII.

Eqvidem post adjurationes atque execrationes in V. T.
Amen fuisse adhibitum, nullus diffitebor. Prostant *Deut.*
XXVII. &c, exempla adeò luculenta, ut vel ab invito assen-
sionem impetrare valeant. Solenne itidem Judicibus in
Rep. Israëliticâ erat, jurejurando per Dominum Deum Is-
raëlis, vel per eum, cui nomen est misericors, furti suspe-
ctum obstringere, cui אמן respondendum erat. *Ex Mai-*
mon, Lightf. Tom. I. Opp. p. 379. Add. Othon. Lex. Rabb. Phi-
lol. p. 31. Pertinet huc Raschii in *Num. V, 22.* & Michl. Jophi
in *Deut. XXVII, 25.* assertio, quod Amen sit שבועה; at-
que illud Talmudis *Tr. שבועות cap. 3. f. 29. b. m.* decretum:
כל העונה אמן אחר שבועה כמוציא שבועה בפיו דמי
אמן אמר ואמר האשה אמן אמן Verum enim verò si is
jurisjurandi formulam enunciat, qui in factam adjura-
tionem consentit, omnis affirmandi particula adjura-
tioni subjecta jurisjurandi nomen merebitur. Quis
verò Græcorum *ναι* in constructione istiusmodi de ju-
ramenti formulâ interpretabitur? quando eidem verbis
opponitur expressissimis *Matth. V, 37.*

XXXIV.

B. D. Carpzov. *l. c. p. 1082.* eam movens quæstionem: An
Amen jurisjurandi sit formula? distingvendum esse arbi-
tratur. Quæ distinctio difficultatem videbatur allatura,
nisi ex verbis Th. XXXII. allegatis enuclearetur. Nam A-
men nunquam & nusquam formaliter juris jurandi est for-
mula. Digna est igitur Talmudistarum, quæ rideatur, sub-
tilitas. Hi in *Tr. שבועות sub fin. c. IV. f. 36. a. m.* geminatum
à muliere adulterii suspectâ Amen, jus jurandum involvere,
at

at *Deut. XXVII, 26.* solam annuendi approbandique vim habere statuunt. Utrobique maledictioni vel imprecationi cum subjiciatur, uno eodemque sensu gaudeat oportet. Geminatio confirmationem quidem adauget, sed juramentum gignit nullum. Quod deinceps explicabitur uberius. Nunc Talmudis verba adjecisse suffecerit: In voce Amen, inquirunt, est *שבועה דכתיב ואמרה האשה אמן אמן* *ו. כו קבלת דברים דכתיב ארור אשר לא יקים וכו'*

XXXV.

Sin Talmudis autores latiori significatione vocabulum *שבועה* se usurpasse profiteantur, nihil repugnabimus. Quemadmodum & *הימניה*, illam asseverandi particulam, syllabis aliquantum immutatis ab *אמן* differentem, Glossa in *Berachoth* cap. IX. f. 55. l. 7. appellat. Pariter Raschi *Gen. XLII, 14.* illud affirmationis genus apud nationes olim pias & impias receptum *V. Junius in b. l. de juramento explicat. Buxt. Bibl. f. 46. col. 1. l. 3. à fine.*

XXXVI.

Ex Judæis præterea quid formaliter jusjurandum sit, quid minus, discere, parum conveniens minusque consultum existimaverim. Scilicet Judæi, gens mirificè cavillis ac jurijurando, etiam in conversatione, dedit a *V. Heinsf. Exerc. 8. in Matth. V. p. 27.* ut præceptum divinum *Deut. VI, 13. X, 20.* quocumque modo declinarent vel illuderent, pessimo instituto per cælum, per terram, per caput suum, per Hierosolymam, per templum, ejusque aurum, per altare denique quod in eo jurare religioni minimè sibi ducebant, *V. Matth. V, 34. sqq. XXIII, 16. sqq.* Quemadmodum hodiernum per *תורה*, licet malà fide *טורה* plerumque sufficiant, jurare illis solenne est. Quapropter à veri fide haudquaquam diffidet,

dissidet, Judæos nonnunquam pro juramento habere, quod, ni ultrò prælucentem veritatem fugere volueris, solam jurisjurandi speciem præ se ferre intelligas.

XXXVII.

Eo tandem ariete sententiam hancce nostram labefactare annitentes, quòd Amen factam per seipsum contestationem connotet, adeoque juramenti nomine jure omni insigniatur, non possunt non successu excidere. Nimirum nonnisi conjectura est, quando Ludov. de Dieu l. c. Ἀμήν, ἀμήν λέγω ὑμῖν idem esse atque ἐγὼ ὁ Ἀμήν ὁ Ἀμήν λέγω ὑμῖν judicat, vel Lightf. Tom. I. Opp. p. 400. vocabulum Amen, & veritatem prolatam, & veritatem, quæ veritatem proferat, continere asserit. Quæ postrema poterant obscuriora videri, nisi T. II. p. 603. b. lucem ipse iisdem accendisset, *Amen dico Vobis*, hoc modo interpretatus: *Ego Amen, verax & fidelis, Amen, i. e. ἐπ' ἀληθείας, dico vobis.* Nec satis apparet, hanc quidem ob rationem, ut plenum innueret vocis sensum, à Johanne Amen geminari. Nam & in V. T. duplicari Amen observatum fuit superiùs, ubi eandem accommodare interpretationem incongruum prorsus est ac ineptum.

XXXVIII.

Hùc ergò deductus, quid iteratum Amen inferat, promissi memor, dicam enodatiùs. Ut fidem tantò consequar faciliùs, B. Geieri malim, quàm verbis meis rem edisserere. Hic in Ps. XLI, 14. p. 724. add. in Ps. LXXXIX, 53. *gemitatio*, ait, *hujus vocabuli asseverationem vel voti vehementiam intendit.* Sic Buxt. Lex. Tal. p. 114. *duplicatio vocis Neb. VIII, 7. duplicabat affectum animi, majoris certitudinis causâ.* Nec quicquam dissentit Fullerus l. c. p. 26. *duplicato confirmationem assignans vehementissimam.* Add. *Ravan. Bibl. S. p. 88.* Rationem si quis desideret, in prom-

D

ptu

ptu est. Ex Hebræorum enim Idiotismo superlativi nota est geminatio. Quem Canonem præter Glasium cum plerique allegent, & Michl. Jophi *ad Num. V, 22.* in hanc quoque vocem quadrare haud obscure concedat, his insistere diutiùs, nihil attinet.

XXXIX.

Quibus ita constitutis, semotisque fecus docentium sententiis relinquitur, nihil obstare, quo minus cum Danhauero *Disp. Rom. XI, 36, c. III. Qu. VI. Th. ult.* concludam: *Hæc voce formaliter neque iuramentum, neque felix successus, sed tantum assertio sive assensus & vobis complementum exprimitur.* Quæ de successu felici commemorat, ex Paulo Fagio *ad Num. V, 22. U. Geier. in Ps. III, 3.* illustrare licebit. Facit hic trium vocum, quibus Hebræi felicitatem rebus suis & successum apprecentur, mentionem. Præter אלהים & אלהים, itidem אמן recenset. At licet Amen eâ usurpetur ratione, formaliter tamen felicem denotare successum Danhauerus pernegat.

XL.

Voti verò complementum per Amen designari, testatior res est, quàm ut prolixius mereatur proponi. Etenim non tantum voce hæc Deo nos obstringimus *Deut. XXVII, 15. &c.* nec voti solum compotes ut reddamur, exoptamque, verum illud nobis in memoriam revocantes, omnia promissa in Christo nos esse atque *אמן II. Cor. I, 10.* summam cum fiducia preces atque vota, in spem exauditionis benevolæ minimè dubiam erecti, particulam Amen obsignamus. Pulchrè Carpzov. *Isag. p. 1075. Amen est devotionis suscitabulum, fluctuationis ac dubitationis omnis exclusivum, asseverationis Christi Job. XVI, 13. fiduciale approbativum.* Digna quoque Chemnitii verba sunt, quæ non *cap. LI. Harm.* tantum, sed & hic legantur: *Hæc particulam fides ostendit, se non hesitare, & dubi-*

dubitationum fluctuationibus circumferri, an Deus exaudiat, & ea, quæ petimus, præstare velit? sed certò statuit, Deum, sicut petere iussit, & se exauditurum promisit, fideliter præstiturum.

XLI.

Unde ab Hieronymo vocem, quæ de agimus, orationis signaculum eleganter vocari, paucis interjectis idem subiungit. Heroica Lutheri Interpretatio: Amen / Amen / das heist Ja / Ja / es soll also geschehen / idem huic fonti suam debet originem. Nec errant, quotquot cum Flacio Gloss. Comp. in 1. Cor. XIV, 16. p. 807. verè dicere Amen, idem esse contendunt, atque certà fiducià statuere, se exauditum esse. Huc præterea Talmudicorum, qui ludicris vocum involucris seria obvelare assolent, placita revocare congruit. Asserunt hi, totis viribus Amen dicenti paradisi portas aperiri vid. Buxt. Lex. Talm. p. 115. ex Jes. XXVII. 2. id ipsum comprobaturi.

XLII.

Non pigror inquirere, utrum omnibus promiscuè precibus Amen clausulæ instar fuerit additam. Rariùs aut nunquam quidem privatim orantem suis precibus subjunxisse, auctor est Lightf. Tom. II. Opp. p. 302. f. Hinc quantum suspicor, Psalmis suis David tam rarò Amen inseruit. Et causæ nihil video, cur observationem Lightfooti, ceu nimis subtilem, proscribat Pfeifferus Dub. vex. p. 946. Olim in sanctuario non responsum fuisse Amen, sed antiphoni loco has deservisse voces ברך שם כבוד מלכותו לעולם ועד ex Talmude Hierosol. Taan. c. II. f. 65. & Tr. Berach. f. 13. constat. Verba hæc sunt: תני לא היו עונין אמן בבירא. Causam intermissi Amen ex Babyl. Joma f. 66. 1. eam colligere integrum est, quia nomen Dei in sanctuario suis efferebatur syllabis, Buxt. Lex. l. c.



XLIII.

In Synagogâ verò ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τῶν ἰδιώτων ad preces à ministro fufas Amen reponebat; idemqve domi patrifamilias benedicenti aut oranti respondebatur. *Lightf. Tom. II. Opp. p. 302. f.* In primitivâ Ecclesiâ post recitatas preces five benedictiones idem in more fuisse positum, ex *I. Cor. XIV, 16.* liqv idò apparet. Qvomo do in S. Coenâ celebratione ministro altâ voce gratias agenti populus Amen acclamaverit, qvomo do item coenâ distribuenti sacrâ fynaxi ufus Amen responderit, & qvæ id genus alia sunt, pratermittenda mihi nunc qv idem conjicio, Judæorum potiùs qvofdam ritus strictim expensuro.

XLIV.

Faciem qvandoqve ad montem Ebhal convertiffe Amen dicturos, ex his Raschi in *Deut. XXVII, 15.* verbis evidens est: ואלו ואלו עונין אמן חזרו והפכו בניהם להר עיבל. At semper illud obtigiffe, asseverare non aufim, cum, qvæ contrarium suadeant, indicia non defint. Inclinato præterea vertice, elatisqve manibus non primitivæ tantùm Ecclesiæ Christianos preces fudiffe, sed Esræ jam tum ætate Amen esse recitatum, ex *Neh. VIII, 6.* conficitur: ויענו 'נא כל העם אמן אמן כמעל ייהם ויקרו וגו' Nec pronunciato Amen obticuisse penitùs, sed laudes Deo ceciniffe, ex *I. Chron. XXI, 36. Neh. V, 3.* qvividis perspiciet.

XLV.

Κατὰ τὸ ξίϋ verò peragebantur singula. Unius erat orare five gratias agere, reliqvorum subjecto Amen testari consensum. Ubi, ne quid peccaretur, in templis Judæorum majoribus, v. gr. Hierosolymis atqve Alexandria, qvia vox Ministri articulatè satis percipi non poterat, motò linteo, qvando Amen respondendum esset, populus commonefiebat. *Buxt. Lex. T. p. 115.* Elatâ ergò voce

uno

uno ore respondebant omnes, fecus ac Chananaâ quor-
dam captâ, quando non universos simul Judæos, sed alter-
nos semper coetus in Garizæo atqve Gibale montibus
constitutos Amen tam benedictionibus quam execratio-
nibus subjecisse tradit Joseph. *L. IV. Ant. Jud. c. VIII. p. 130. F.* At
Cuthæum tamen si benedicientem audirent, facto bene-
dictione finitâ silentio Amen reponeretur nullum. *Berach. c. VIII. Hal. VIII. Lightf. T. II. opp. p. 920. b.*

XLVI.

Cauto verò opus erat, ne festinanter nimis Amen ef-
ferretur. Etenim כל העונה אמן יותר מראי אינו אלה טועה
Berach. f. 47. v. l. 21. Neq; acceleranda tamen ejusdem erat
pronunciatio. Id quod curiosa ac superstitiosa ferè vo-
cabuli Amen in *הטובה acceleratum*, in *קטובה amputatum*,
in *יתומה pupillare s. orbum V. ברכות l. c.* distinctio satis
superque docet. Quæ exsequi cum chartæ angustia non
permittat, satis fuerit, digitum ad eos intendisse fontes,
unde hauriantur copiosius, *V. Buxt. L. T. p. 115. Glass. Gro
p. 472. Pfeiff. D. V. p. 945. Lightf. T. II. Opp. p. 620. b.*

XLVII.

Dubius hæsitavi diu, an horrendam Judæorum blas-
phemiam sempiternâ obruendam oblivione, crassisq; oc-
cultandam tenebris, quam in Jesum nostrum evomunt,
superioribus annecterem. Ut verò B. L. perspiciat, quam
iniqua gens circumcisa non solum in *תולדות ישו* sed &
in Talmude ipso sit, non pudebit ad summam ipsorum vi-
rulentiam detegendam detestandamq; paucis referre ver-
bis, quæ ipsos effutire pluribus non puduit. Tractatu
שבח f. 116. 2. און in *און* impiâ allusione convertentes
& Evangelium & Christum *און ipsam iniquitatem i. e. ini-
quissimum* (ignoscat Servator optimus) appellant.

XLIIIX.

Altioris res indaginis esse videtur, cur Judæi superioribus aliquot seculis tria אמן, uno subjecto סלה, suis voluerint monumentis sepulchralibus insculpi. Fidem his facient Seb. Munsteri *ad Habac. III. p. 552.* verba: *hic Basilea scriptum inveni in lapide: נשמרתה תהיה צרורה בן ערוך אמן סלה* Et Heidelbergæ lapis est sculptus ante annos 243. *cujus inscriptio in hæc desinit verba: מנוחתה בצרור החיים עם שאר צדקניות אמן סלה.*

XLIX.

Restat unicus huic Disputationi locus vel maximè necessarius: Utrum jure Ecclesiæ circuli Elect. Sax. reprehendantur, quòd cantioni symbolicæ: *Wir glauben / &c. Amen* ab aliis omissum accinant? Nulla sanè ratio, quæ non dicam verum, sed vero tantum simile illud reddat, in mentem venerit reputaturo, quod non precibus tantum atque doxologiis *Apoc. V. 13. 14. &c. adde quæ habet Pugio Fidei p. m. 176. f. Amen* addatur, verum insuper etiam sermonem quemc. præcedentem confirmet. *Matth. XXVIII. 20. Luc. XXIV. 53. Job. XXI. 25. Quid? quod in ipsis etiam confessionibus clausulæ assertoriæ loco adhibeatur Rom. I. 25. IX. 5. Ap. XIX. 4. Verè Er. Schmid. Amen non est tantum vocula apud Hebræos precatorem claudens, sed etiam confessionem, & quamcumq; orationem confirmans Not. in N. T. p. 643. add. p. 96. Ecquid ergo est? cur vel Amen subjungere cantico, vel Ἀμὴν atque Ἀλληλῳία canere intermittamus*


לאלהי אמן:

s
s
u
u
e
æ
n
te
io
r-
I.
m
st
d
r-
ir
d
r
e

ULB Halle

3

003 792 390




05 A 2425

1017








70

HORARUM
PHILOLOGICARUM
IN
AMEN

IMPENSARUM,
PRÆSIDE
M. GERHARDO MEJERO,
FACULT. PHIL. ADJUNCTO,
RATIONEM REDDET
AUCTOR - RESPONDENS
JOHANN. JACOB. BECHLER,
NORDLINGA - SV.

DIE ULTIMO
ANNI M DC LXXXVII.

IN AUDITORIO MAJORI.



WITTEBERGÆ,
Literis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad, Typ.